



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ab. 52. j



7

I. N. J.
DISPUTATIO VII.
**SELECTARUM
THESIUM
JURIS CERTI & CON-
TROVERSI**

Ex Tit. j. d. Usucap. & long. temp. præ-
script. d. Donat. Quib. al. lic. & per qv. cu. acq.
iisque Titulis π. C. Justin. Theod: βασιλικ.
& ῥ. respondentibus.

Quam
PRÆSIDE
JOHANNNE CHRISTO-
PHORO *Bolz* /
J. U. D. & P. P.

ANDREAS BENJAMIN *Hempel* /
Majori Glogâ-Siles:
RESPONDENS
publicè defendet

IN AUDITORIO MAJORI
A. clb. lbc. LXXXI.

REGIOMONTI.
PRÆLO REUSNERIANO.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
ELECTORIS BRANDEN-
BURGICI

IN PRUSSIA
CONSILIARIIS GRAVISSIMIS,
VIRIS

Generoso, Pra-Nobilissimis, Fctissimis, Amplissimis,

DOMINO

DANIELI von Wegnern /
Supremi Appellationum Judicii Asses-
sori, Venerandi Consistorii Sambiensis

Præsidi,

Hæreditario in Burchardsdorff / Ruggen / Weissenstein /

&c. &c.

DOMINO

THEODORO PAULI,

J. U. D. In Academia Regiomontana

P. P. Secundo, Judicii Criminalis Præsidi,

DOMINO

DANIELI Sommerfeldt /

Intimorum Consiliorum & Rerum Bellicarum Secretario,

Hæreditario in Panneroß / Lauters / &c. &c.

DOMINIS AC PATRONIS EXOPTATISSIMIS,

Exercitium hoc Academicum in sui, suorumq; studiorum
commendationem optimam maximam, cum voto abso-
lutissimæ prosperitatis, eâ, quâ par est, reverentiâ

offert

RESPONDENS.



Titulis *j. d. Usucap. & long. temp. prescript.*
d. Don: Quib. al. lic. & per qu. person. cu. ac-
quir. respondent in π. d. Usurp. & Usucap. d.
Donat: d. mort. caus. Donat. in C. Just. Comm.
d. Usucap: d. Usucap. transfor: Ne rei domin:
vel templ. d. Ann. Except. Ital: d. quadrienn:
prescript: d. prescript: long. temp. In quib.
caus. cess. long. temp. prescr. Quib. non objicitur longi temporis
prescr. Si advers. Cred. d. prescr. 30. vel 40. ann. d. Donat: d. Do-
nat. que sub mod. vel cert. temp. confic: d. don. caus. mort. d. Revoc.
Don: per qu. pers. Nob. acqv. in Cod. Theod. l. un. d. Act. certo
tempore finiend: t. t. d. Don: & Revoc. Don. in Libb. βασιλικ. d. U-
surp: & Usucap: d. Don: d. mort. ca. don. in π. d. prescript. & Don.

II. Explicatur in his Titulis (1.) materia Usucapionis & præ-
 scriptionis *t. t. j. d. Usucap. & prescript. t. t. π. d. Usurp. & Usucap:*
t. t. C. Just: Comm. d. Usucap. & seqq. t. t. C. Theod: d. Act: cert.
temp. finiend. t. t. libb. βασιλικ. d. Usurp. & Usucap: t. t. π. d. præ-
script: (2.) materia Donationis t. t. j. d. Don: t. t. π. cod: t. t. d.
mort: ca. don: in C. Justin. d. Donat: t. t. d. Don: caus: mort: d. rev.
Don: in Cod. Theod: t. t. d. Donationibus & Rev. Don: t. t. Libb.
βασιλ: d. Don: t. t. d. mort. caus. Don. t. t. π. d. Donat: (3.) expli-
 cantur personæ facultatem alienandi habentes vel non *t. t. Quib. al.*
lic: (4.) personæ quarum acquisita aliis cedunt t. t. j. per qu. pers.
cu. acq. t. t. C. Just. per qu. pers. Nob. acquir.

III. Præscriptionis vox descendit à præscribere, quæ præfinit
 re vel præfigere significat, quia præscriptio tempus præfinit, quod
 dominium devorat, & denotat generaliter omnem Exceptionem *t. t.*
π. d. Except. & Præscript. l. 2. §. 1. π. Ad L. Jul. d. Adult: l. 2. C.
Si cont. jus vel util. publ. Tertulliani liber d. prescript. i. e. Ex-
ceptionibus & defensionibus adversus Hæreticos. Dicuntur etiam lib.
51. βασιλικῶν τιτ. 4. πρὸς τὴν δόλῃ καὶ φόβῳ ὡς γὰρ γὰρ φησὶ. Specialiter
 verò præscriptionis nomine eæ præcipuè Exceptiones veniunt, quæ ex
 solo temporis lapsu descendunt, sicut enim insignes temporis *natu-*
rales, sic etiam morales dantur effectus, ideo Poëtæ tradunt: Satur-

num filios suos devorare solitum, ac eosdem denuò evomere, interpretantes id ad tempus referendum esse, quod Saturni nomine significatur, à quo vicibus cuncta gignuntur & absumentur, quæ denuò renascuntur, ut ait *Aug. d. Civit. Dei l. 6. c. 8.*

IV. Cùm igitur tanta sit temporis virtus, non est mirum, omnis temporis rationem etiam in jure haberi, quod docet *Cujacius*, secutus exemplum *Eustathii, Dyni & Oldendorpii d. divers. temp. prescript. & terminis περὶ γυμνασίου.* Momentum accipiuntur JCTi pro atomo, ut cùm id quod filiusfam: acquirit, scribunt, ne momento quidem in ejus personâ consistere, & confestim patri acquiri *l. placet d. A. H.* Accipitur etiam ἐν πλάσει pro latiore quodam temporis spatio *l. pen. d. Cond. trit:* ubi mortis tempus, quod est momentaneum *latius* accipitur, & pro horâ ferè interdum *l. 3. §. minorem d. min:* Alia computatio est *naturalis* à momento ad momentum, vel à signo ad signum. Alia est *civilis*, quoties non à momento in momentum, sed à die in diem annus computatur, quod fit in *L. Ælia Sentia*, cùm quæritur de *minore 20. annis* & in *Tabb:* cùm quæritur de *Usucapione*, & in *L. Julia & Papia* cùm quæritur de *anniculo l. anniculus in fin. d. V. S. l. 1. d. manum: l. in Usucapione d. Usurp. & Usucap:* aliquando annus à die statim computatur, ut si dixeris *14. annorum* esse eum, qui nunc primum est ingressus annum *14.* Computatio *naturalis* locum habet in *Edicto Prætoris l. 3. §. minorem d. min:* in *L. Julia d. Adult. l. si maritus §. Lex Julia ad L. Jul: d. Adult:* quod & in tempore *personali* Actionum locum habet *l. 5. d. O. & A.* Interdum momentum accipitur pro *Continuo l. Si filiusf. ad Maced:* quanquam aliquando *continuo* seu *confestim* *latius* accipiatur, etiam pro *triduo l. ult. C. d. Error. Advoc. l. ult. 7. d. jud.* *Hora* est diei *naturalis* duodecima *l. 2. §. 1. d. V. S.* & diei *Civilis* vigesima quarta pars *l. more d. Feriis.* Dies *naturalis* consistat horis *12.* quocunq; anni tempore. *Nox* item, quæ tamen augmentum & deminutionem recipiebant, augescente vel decrescente die vel nocte. *Hora sexta meridies* est, & consequenter major diei pars horarum septem, & quidem *primarum*, vel quia restauratæ & integræ sunt hominum vires horis *matutinis*, vel quia potissimum *Romani* prædictis horis litibus negotiisque vacabant. Diem *naturalem* observare tenebantur Prætor &

tor & Tribunus, qui si septem primis horis extra urbem abfuerint, partem majorem diei abfuisse dicerentur. Præses quoq; non habebat jus abnoctandi extra Provinciam *l. illud. d. offic. Præsid.* Dies civilis computandus est ab eo, qui testamentum condit, valere dicitur Testamentum, quod fecit quis pridie natalis sui post mediam noctem *l. 5. qui Testam. fa. poss.* Est alia divisio dierum. *Utiles*, quibus experiundi juris sui potestas est *l. 1. d. div. temp. præscript.* his opponuntur *continui.* Dies *sessionum* sunt, quibus Prætor vel Præses sedet pro Tribunali, qui possunt non esse utiles. *l. 2. quis ordo in b. p. serv. l. 5. §. Satisfactionis. Ut in poss. leg.* Die Sabbati Judæi non sunt conveniendi, nullaq; munera personalia & nullæ angariæ ab iis exigendæ *l. 12. C. d. Jud.* Dies Paschatis, Natalis Domini & Epiphaniarum sunt feriati *l. omnes C. d. Feriis.*

V. *Biduo* antequam Præses Provinciam ingreditur, debet decessori suo amicè scribere, ut sibi officia sua mittat obviam *N. 95.* Item conditionem ita datam, illud facito in diebus, nullo alio adjecto, in biduo implere debere, constat ex *l. inter illam §. ult. d. V. §.* Intra biduum fieri potest appellatio in propriâ causâ, in alienâ intra triduum ex die sententiæ *l. 1. §. biduum quand. app. sit. l. eos §. sin autem C. d. Appellat.* Tertiô die glandem legere licet ex Interdicto *d. glande legendâ.* quæ ex meâ arbore decidit in tuum fundum *l. 1. d. glan. l. Julianus §. glans ad Exhib.* Is qui recusavit Judicem intra triduum, arbitrum eligere debet *l. ult. C. d. Judic.* Equis præscribuntur *dies quinq;* in *l. 1. C. d. tract. & stat. XII.* Ferae quas Duces ad Principem transmittunt, *septem diebus* duntaxat alendæ in singulis Civitatibus *l. 1. C. d. Venation. ferar.* Novem diebus post mortem debitoris cessat exactio Creditorum, nec nisi post novem dies à morte Debitoris experiri possunt cum heredibus *N. 115.* Tria Edicta proponuntur in contumacem, in singula intermisso spatio decem dierum *l. 69. d. judic.* Novella verò *112.* cujus Edicto tribuit spatium 30. dierum. Appellatio intra decendium interponenda est *l. ultim. §. & eum antea C. d. temp. app.* In pecuniariis causis testes evocati quindecim tantum dies coguntur permanere in judicio *l. pen. C. d. Testib.* quindecim Paschatis diebus cesset omnis debitorum publicorum & privatorum exactio *l. omnes l. actus C. d. Feriis.* Actio civilis vel criminalis, quæ in eum, qui Magistratu aliquo

functus est, finito Magistratu intenditur, intra *dies 20.* est finienda à
 lite contestatâ. Judex qui intra *dies 20.* eam non finierit, mulctam
 subit decem librarum auri & actionem perimit *l. 1. §. ult. C. Ut
 omnes jud. tam civ: quàm mil:* Si intra *20. dies* susceptor Servi
 fugitivi Magistratui vel Domino eum reddiderit, venia conceditur.
 Intra *30. dies* repeti ab alio accusatio potest priore accusatore mor-
 tuo, vel ex justâ causâ impedito *L. Julia* nomen rei aboleri *l. 3. §.
 ult. d. Accusat. l. aut privatim ad Turpil:* Pupillo remittitur pœna
 commissio, si intra diem tricesimum veftigal intulerit *l. Imperatores
 §. ult. D. d. Publ. & Vest:* Contra apochas intra *30. dies* non post
 eos non solutæ vel non datæ Exceptio opponi potest *l. in Contra-
 ctibus C. d. non num. pec. Quadraginta diebus* ante diem magnum
 Paschæ cesset cognitio criminalium quæstionum *l. quadraginta &
 l. provinciarum C. d. Feriis. Quinquaginta dies* Præsides & Adfes-
 sores & Domestici eorum finito Magistratu commorari debent Acti-
 ones Provincialium excepturi *l. 1. C. Ut omn. jud. tam civ. l. 3. C.
 d. Adsess.* intra *50. dies* continuos tutores se excusare possunt *l. 13. π.
 d. Excus. Tut: l. 6. C. eod.* Ex die divortii intra *60. dies* utiles Vir
 jure mariti adulterii accusare Uxorem potest *l. 6. C. Ad L. I. d.
 Adult: Duo menses* sunt feriati à forensibus negotiis reservati scil:
 æstivis fervoribus mitigandis & autumnii foetibus decerpendis *l. pub-
 licas & l. omnes C. d. Feriis.* Cessabant etiam eis mensibus Scholæ
 ut *Aug:* indicat *7. Conf. c. 2.* Excipiuntur in *d. l. publicæ* causæ
 fiscales, quæ agi illis mensibus possunt. Excipiuntur & pistoriæ i. e.
 ut Græci interpretantur de mancipibus *ἡτοιμασμένων ἢ μαγικῶν ἢ τοιαύτων.*
 Mancipes enim sunt Curatores pistrinorum. Qui in *N. 80.* dicuntur
πρωτοπαιστῶν τῶν ἀγοποποιητικῶν ἐργαστηρίων. Ab Harmenopulo tit: *d.
 dignit:* dicuntur mancipes vid. *lib. 6. βασιλικῶν T. 6. c. 5.*

VI. Non plus quàm *tres menses* prorogantur si dilatio pe-
 tatur testium vel instrumentorum ex eadem provinciâ exhibendo-
 rum causa *l. 1. C. d. dilat.* lis nuntiationis novi operis intra tres
 menses est finienda *l. ultim. C. d. adif: priv:* Cognatis & Agna-
 tis dantur *100. dies* utiles ad b. p. petendam, ex quò se vocatos sci-
 verunt *l. 2. C. qv. adm: l. 3. D. Unde Cogn. l. 1. §. si intra π. d.
 Succ: Edict:* Quatuor intra menses repetere potest, impenas pro
 parte

parte cum usuris centesimis, si unus ex sociis alterò cessante com-
munes aedes refecerit post quatuor menses, ut dominium aedium ei
addicatur in solidum *l. cum duobus §. idem respondi D. pro Soc: l.*
4. C. d. edif. priv: Quinq; intra menses scholares, quibus comme-
atus datus est, civiliter conveniri nequeunt l. ult. C. d. privil. Schol.
Qui à peraequatore desertum agrum accepit, firmò jure eum tene-
at, reliqua prioris possessoris non solvat, si superveniat, qui agrum
vindictet dominii aut hypothecæ jure, & evincat meliorationis sum-
ptus ab eo consequatur, si modò is veniat *intra 6. menses* post ad-
dictionem agri. Venienti post sex menses, præscriptio obstat *l. ult. d.*
Cens. & Cens. l. locorum C. d. omni agro desert. XI. Idem est de actio-
ne redhibitoriâ, quæ sex mensibus utilibus concluditur *l. sciendum*
§. ultim. D. d. Ædil. Edict: Excipitur Actio æstimatoria quanto
minoris, quæ ex hac causâ sex mensibus utilibus concluditur, ob
non præstitas ædilitias cautiones l. Si venditor D. eod. Septimo men-
se nascitur partus perfectus & legitimus l. septimo π. d. Stat. Hom.
Procuratori cui lis movetur ad Dominum evocandum, ex proximâ
provinciâ dantur 4. menses, ex longioribus 6, ex remotissimis 8. vel
9. l. 1. C. d. dilat. Nov. 69

VII. Tanta itaq; temporis ratio in jure nostro habetur, ut
non tantùm ad *annos* respiciat, sed etiam *mensium, dierum, horæ*
atq; *momenti* mentionem faciat, materia verò præscriptionis anno-
rum potissimùm rationem habet, quia est acquisitio per longam
possessionem, & dividitur (1.) ratione *objecti* in præscriptionem re-
rum *mobilium* vel *immobilium, corporalium* vel *incorporalium*.
Res *mobiles* olim anno, hodiè triennio præscribuntur *l. un. C. d. U-*
suc. transf. Immobiles Italicæ olim biennio tantùm, hodiè verò in-
differenter omnes tam Italicæ quàm provinciales decennio inter
præsentes & vicennio inter absentes usucapiuntur. Rerum *incor-*
poralium præscriptio juri π. incognita, & jure Codicis demùm in-
troducã, 30. vel 40. annorum spatio absolvitur *l. 3. C. d. præscript.*
30. vel 40. ann: l. 2. C. d. Constit. pec: (2.) ratione Adjuncti seu
temporis est (1.) præscriptio *annalis*, quâ anni spatio præscribitur
Actioni injuriarum prætoricæ *l. 5. C. d. Injur: Actioni Paulianæ l.*
1. & t. t. π. qv. in fraud. Cred: Et Civiles quædam pænales velut
Actio ex L. Julia Repetund; in heredem ejus, qui repetundarum ar-
guitur,

guitur, etiamsi lis non sit, contestata cum defuncto *l. 2. D. Ad L. Jul. rep. l. 1. C. eod.* Omnes actiones populares *l. ult. D. d. pop: act:* veluti de dejectis & effusis, si liber homo occisus, vel si ei nocitum sit, Albi corrupti, Sepulchri violati, apertarum tabb. ante quæstionem familiæ. (2.) *Biennalis*, quâ olim res immobiles & quidem Italici tantum soli acquirebantur, quæ distinctio soli Italici sublata est *l. un. C. d. Usucap. transf.* Causæ criminales finiuntur intra biennium à litis contestatione connumeratum *l. ult. C. Ut int. cert. temp. crim. quest. ter.* Actio de dolo ex Constantini Lege biennio continuo concluditur *l. ult. C. d. dol.* Mulier, quæ pro aliò intercessit, non juvatur SC. Vellejano, si post biennium denuò ejusdem rei nomine se obligaverit vel satisdederit *l. Si mulier C. ad S. C. Vellej.* idemq; est in *N. 61.* quod si pro extraneo intercedat, locum habet, non si pro marito nam etsi sæpiùs intercedat, pro marito non tenetur *N. 134.* etiamsi post biennium iteretur obligatio. Exceptio non numeratæ pecuniæ extinguitur biennio *l. in Contract: C. d. non num. pecun.* Si Sponsus præsens in eadem provinciâ non exequatur nuptias, potest puella impunè alii nubere *l. 2. C. d. Spons.*

VIII. (3.) *Triennalis*, quâ usucapiuntur res mobiles *l. 1. d. Usucap. transf.* Emphyteuticarius excidit jure Emphyteuseos, si triennio cessaverit in solvendo canone *l. 2. C. d. jur. Emphyt.* (4.) *Quadriennalis*, quâ utuntur privati contra Fiscum ob bona vacantia nondum denunciata, & intra quadriennium neglecta *l. 18. π. d. Usucap: l. 1. C. d. Quadr. præscript:* Datur etiam Fisco, si alienaverit rem alienam vel alii pignori obligatam, & eò nomine conveniatur à Domino aut Creditore pigneraticio *l. 2. C. d. Quadr. præscript.* Est hoc tempus etiam præfixum Restitutionibus in integrum *l. f. C. d. Restit:* (5.) *Quinquennalis*, quâ præscribitur actioni commissi ob non solum vectigal *l. 2. d. Vectig. & Comm. item querelæ inofficiosi Testamenti l. 8. §. ult. π. d. inoff. Testam: l. 16. C. eod.* ut accusationi adulterii *l. 29. §. 5. 6. & 7. π. Ad L. Jul. de Adult. l. 5. C. eod.* (6.) *Decennalis* seu *Decennii*, quâ res immobiles inter præsentis præscribuntur *l. 1. C. d. Usuc. transf. N. 119.* (7.) *Vicennalis*, quâ res immobiles inter absentes præscribuntur *pr. j. d. Usucap,* & regulariter crimina *l. querela C. ad L. Corn. d. Fals.* Excipiuntur tria, quæ quinquennio præscribuntur. Excipitur etiam crimen

crimen injuriarum, cujus actio annalis est *l. 5. C. d. Injur.* Similiter omnes actiones civiles, fiscales, excepta causa commissi & vacantium bonorum *l. in omnibus D. d. div. temp. præscr. l. 1. §. pen. & ult. D. d. jur. Fisci.* Excipiuntur quoq; crimen suppositi parvus *l. 19. in f. π. ad L. Corn. d. Fals.* crimen parricidii *l. f. π. ad L. Pompej. d. parricid.*

IX. (8.) *Tricennalis*, quæ præscriptio longissimi temporis dicitur *l. 1. C. d. præscr. 30. vel 40. ann.* Cujacius *d. div. temp. præscr. & term: c. 30.* authorem hujustricennalis præscriptionis putat esse *Theodosium M.* & ita statuit quoq; *18. O. 26.* sed non sine errore, quia primus Theodosius junior *in l. un. C. Theod: d. Act. cert. temp. fin: 30.* annorū præscriptione Actiones ante perpetuas elidi voluit, idè Alexander Papa *in C. vigilantibus d. præscr. Ephesinum Legislatorem* primum hujus præscriptionis vocat authorem. Ubi *Ephesinus* ille Legislator non est alius quàm *Theodosius junior*, quod *Cujacium* fugit, nec *Antonius Augustinus* se explicare potuit. *Ephesinus* scil. ille Legislator non est alius Scriptoribus Ecclesiasticis, quia Ephesini Concilii Oecumenici author & promotor fuit, idè etiam semper in Ecclesiam Ephesinam suam Clementiam testatus est *Nicephorus l. 14. c. 58.* Et invaluit hæc præscriptio adè, ut non quasi ex Legislatione humanâ, sed veluti ipsâ rerum naturâ processisse videretur, ut loquitur *l. 4. C. Visigothorum lib. 10. t. 2.* Invaluit etiam apud Ostrogothos, ut testatur Theodorici Edictum *c. 12.* Hac præscribuntur res immobiles sine titulo & bonâ fide, adè ut etiam res furtivæ ac vi possessæ, quæ aliàs per longi temporis spatium non possunt usucapi *§. 2. j. d. Usucap. l. 1. §. 1. C. d. Annal. præscr.* Præscribuntur etiam actiones tam reales quàm personales *l. 3. C. d. præscr. 30. vel 40. ann.* (9.) *Quadragesaria*. quâ præscribuntur res Ecclesiasticæ, tam mobiles quàm immobiles *Auth. quas Actiones C. d. S. S. Eccles. N. III. c. 1. N. 131. c. 6.* (10.) Est præscriptio centenaria & immemorialis, quam Imperator *in l. 23. ut inter C. d. S. S. Eccles.* concessit Ecclesiis & locis religiosis *N. 9.* hæc Novella correctâ est per *N. III.* rationem correctionis reddit Imperator *in d. N.* quam etiam confirmat *in N. 131. c. 6. Irnerius in fin. Auth. quas Actiones C. d. S. S. Eccles.* excipit Ecclesiam Romanam *Giphanius ad l. ut inter C. d. S. S. Eccles. Pinellus ad Auth. nisi C. d. Bon: mat: &*

& Rittershusius p. 2. c. 1. Irnerium impugnant. Sed Fachin: lib. 3. controu: c. 3. & Clariss: Dnus Strauch: in Irner. non errante c. 3. eum defendunt. Non minus Ususfr: relictus Reip: quam 100. annis extingvitur l. an Ususfr. D. d. Ususfr. comparatur Ususfr. Reip. relictus infanti relictus, longissimum autem spatium vitæ hominum est annorum centum.

X. Usucapionis origo est antiquissima, cum ea primùm sit à Solone excogitata, ac in usu veterum Atheniensium, & Plato Atheniensis Philosophus eam in suam Remp. invexit lib. 12. d. LL. Ab his derivata est ad Decemviros, qui eam in L. XII. Tabb. transtulerunt. Sed Præscriptio absolutè considerata fuit à Ratione & J. G. H. Grot. d. I. B. & P. L. 2. c. 4. §. 2. Wissenb. p. 2. D. 20. 0. 11. Sed præscriptio relativè ad Remp. Rom. considerata cæpit sub Impp. l. dolia 76. §. ult. D. d. contrah. Empti ibi: Sed & longa possessionis præscriptione, si utriusq; possessio impleat tempora Constitutionibus statuta, & præter propter Hadriani tempore introducta fuit, produnt enim ejus usum Julianus & Cajus qui eò tempore floruerunt, ille in l. si duo 13. §. 1. d. jurej. hic in l. qui alienam 54. in pr. D. d. Evidt. Meminit etiam illius Javolenus author ejusdem xvi in l. ei à quo 21. D. d. Evidt: in quâ sequens proponitur casus: Quidam ex provinciâ aliquâ misit Epistolam ad Javolenum, per quam consuluit JCTum, utrum in specieibi propositâ locus esset usucapioni fundi: Usucapionem verò perperam scripserat & imperitè, quoniam sola præscriptio non etiam usucapio locum habebat in prædiis provincialibus. Javolenus verò Juris peritissimus repudiatâ Usucapionis voce respondit, præscriptionem longi temporis in eò non durare; quod ex inscriptione quæ talis: Javolenus l. 6. Epist. liquet, ibi non à Javoleni, sed ejus qui ad Javolenum scripserat verbis quæstionem fuisse excitatam, & hâc ratione explicanda est l. apud Julianum 20. D. d. Fidei C. Libert.

XI. Introducta est præscriptio relativè considerata, ut Usucapionem adjuvaret, quoniam Usucapio propriis quibusdam regulis erat circumseptâ, intra quas illam concluderant partim XII. Tabb. partim media Jurisprudencia. Ita provincialia prædia regulariter usucapi non poterant l. un. in pr. C. d. Usucap. transf. quia publica ex l. Si captivus 20. §. 1. D. d. Captiv. & postlim. revers. l. in agris

16. D. d. A. R. D. & publica non poterant usucapi l. Usucapionem
 9. D. d. Usurp. Verum cum onere præstandi tributum privatis ho-
 minibus perpetua possessio concederetur, unde tributaria dicta §.
 per traditionem j. d. R. D. recepta fuit subsidiaria temporis præ-
 scriptio in l. un. C. d. Usuc. transf. Diverticuli fluminis jus quoad
 piscationem non usucapitur l. præscriptio 45. D. d. Usurp. quia res
 publicæ de l. N. & G. nec non res incorporales sunt expertes Usucapio-
 nis l. Servus 43. §. 1. D. d. A. R. D. sed non præscriptionis l. si quis
 7. π. d. divers. temp. præscript. Civitatum res usucapi nequeunt
 l. 9. d. Usurp. & Usucap. l. 12. §. in vectigalibus D. d. Publ. in Rem
 Act. præscriptio tamen locum habet l. 1. C. d. præscr. long. temp.
 Bona fiscalia, quæ Fisci bonis inserta sunt, usucapi nequeunt l. 18. D.
 d. Usurp. possunt tamen præscribi l. in omnibus 13. D. d. div. temp.
 præscript. l. 1. §. præscriptio π. d. jur. Fisci l. 1. C. Theod. d. long.
 temporis præscript: quibus casibus secundum Juris rigorem usuca-
 pio erat impedita, iisdem ex æquitate admitteretur præscriptio, si
 rei qualitas & rationis identitas simile remedium desiderant. For-
 ma præscriptionis consistit (1.) in possessione non naturali tantum,
 quia civilis quoque necessaria est, cum Usucapionem non pariat nu-
 da detentio, quæ corpore fit, nisi sit conjuncta cum animo sibi ha-
 bendi & affectione Domini l. 3. §. 1. π. d. Public. in Rem Act. l. 2.
 π. pro Hered. l. 1. C. Comm: d. Usucap: l. pen. C. d. præscr. 30. ann.
 Ad possessionem ritè perficiendam præter legitimum tempus requi-
 ritur continuitas, quæ non intelligitur in unâ, sed etiam in diversis
 personis l. 13. §. 12. π. d. A. P. (2.) In justo titulo pr. j. d. Usuc.
 seu justa causa ad Dominium transferendum idonea l. 24. C. d. R.
 V. l. 3. d. Publ. in R. A. dummodo titulus sit verus non erroneus
 §. error 6. j. d. Usucap. l. ult. C. pro Donat. (3.) In bonâ fide
 seu justâ opinione, quâ quis existimat rem esse suam l. bonæ fidei 109.
 π. d. V. S. J. Civ. tempore traditionis seu initio l. 15. §. ult. π. d.
 Usurp. & Usuc. l. 11. π. d. div. temp. præscr: l. 48. §. 1. d. A. R.
 D. l. 2. in pr. π. pro Empt. l. 3. π. pro Suo. Jur. Can. b. f. tam ini-
 tio quàm medio & fine adsit oportet c. fin. & d. præscr: Jure Pru-
 ten: in omni præscriptione bona fides necessaria est quantocunq;
 temporis spatium illa nitatur P. R. L. 3. T. 4. a. 1. §. 4. de quibus fu-
 sius tractat Galvanus in Disf. d. Usufr. c. 11. ubi tamen in §. 18. cum
 aliis errat rubricam j. d. Usucap. & long. temp. præscr. à scribis vio-
 latam

B

latam

latam esse existimans, quia præscriptio pariter ac Usucapio acqui-
fitio est Domini, & rectè invicem conferuntur in *l. qui alienam*
54. in pr. d. Eviçt. §. pen. j. per qu. pers. cu. acq. Bachov. ad Rub.
j. d. Usucap. ideò etiam Græci acquisitionem Domini tribuerunt
præscriptioni, ut Leo Imp. in *Basil. l. 50. tit. 12.*

XII. Lege Scriboniâ, quæ *L. Scribonio Libone Cos. L. Atra-*
tino ut vult Hottora: in *indice L. R.* vel ut alii volunt *M. Antonio,*
quem eò annò constat consulatu abdicatum fuisse Anno DCC XIX.
lata est, sublata est usucapio Servitutum *l. 4. §. ult. D. d. Usurp.*
Rationem duplicem Legis hujus promulgatæ proponit *l. Servitu-*
tes 14. D. d. Servit: Servitutes P. R. etiamsi corporibus accedunt,
incorporales tamen sunt, & ideò usu non capiuntur, vel ideò, quia
tales sunt Servitutes, ut non habeant certam continuamq; possessio-
nem: Nemo enim tam perpetuò, tam continenter ire potest, ut nul-
lo modo possessio ejus interpellari videatur, possideri enim non pos-
sunt, cum sint incorporales, neque continuè possideri, cum saltem
quibusdam momentis possessio earum interrumpatur. Hæc Scri-
boniana prohibitio non modò omnium Juris authorum sententia
collaudata *l. Servitutes 14. in pr. D. d. Serv. l. Servus 43. §. 1. D.*
d. A. R. D. sed etiam usu confirmata, ideò dicit Ulpianus: *Hoc ju-*
re utimur, ut Servitutes per se nusquam longo tempore capi possint
in l. si alien. 10. §. 1. D. d. Usurp. l. foramen 28. d. S. U. P. nec
uspianam in libris D. aut C. à JCTis vel Impp. hujusce temporis
præscriptio recensetur inter modos acquirendi Servitutem, cum ta-
men hoc remedium esset usitatissimum, & nominatim adhiberi so-
leret in his, quæ usucapionem effugerent *t. t. D. d. div. temp.*
præscript: acquirebantur tamen Servitutes longo temporis cursu *l.*
Si quis 10. Si Serv. vind. l. 1. infin. D. d. aq. & aq. pluv: l. si ego
11. §. 1. D. d. Publ. in R. A. l. apparet 5. §. Si quis Servitutem D.
d. it. act. priv: l. 1. & 2. C. d. Serv. & aq. in quibus nulla fit men-
tio Usucapionis aut præscriptionis, sed longæ quasi possessionis,
nec ullus ex prædictis locis positus est sub aliquo titulo spectante
ad Usucapionem, aut longi temporis præscriptionem, ut propterea
hic acquisitionis modus videatur novus extraordinarius, & propri-
us ipsarum Servitutum esse, quem modum acquirendi JCTi pati-
entiam nuncupant *d. l. 11. §. 1. d. Publ. l. 1. §. ult. π. d. S. P. R. &*
quanquam multi Doctorum moti Constitutione Justiniani Imp. in *l.*
ult.

*ult. C. d. preser: long: temp: statuunt aut Usucapionem aut Præ-
scriptionem in Servitutibus locum habere Brunnem. ad d. l. nequa-
quam tamen sequitur ex l. verbis: Eadem observando, etsi res non
soli sint, sed incorporales, quæ in jure consistunt, veluti Ususfr: &
reliquæ Servitutes præscriptionem esse introductam, sed potest po-
tius hæc consequentia necti, dictâ Imperatoris extensione Servitu-
tum si non propriam (quam Scribonia prohibuit) saltem impro-
priam præscriptionem sive longam quasi Consuetudinem, ut loqui-
tur Ulpian. in d. l. Si quis 10. D. Si Serv. vind. corroboratam esse
Galv. Disf. d. Usufr. c. 12.*

XIII. *Donatio* est ex genere eorum, quæ sunt homo-
nyma, & dicuntur *πῆξις ἐν* quæ non æqualiter prædicantur de spe-
ciebus singulis. *Propriè* loquendo ea saltem verè dicitur dona-
tio, quæ est rei gratuita & perpetua, ex mera & nuda aliqua libe-
ralitate facta in aliquem translatio. *Impropria* plures habet spe-
cies, talis est Donatio propter nuptias, Donatio mortis causa, &
Donatio remuneratoria: Hæ Donationes non veniunt nomine
propriè dictarum Donationum, quia liberalitatem & causam con-
tinent. Donatio propter nuptias est quidem sponsalitia largitas
l. 8. 9. 15. C. d. Don: ant. nupt: quæ fit à parte Sponsi Sponsæve
Harmenop: l. 4. t. 7. Petr. Greg. l. 8. Syntagm: c. 7. n. 15. fit ta-
men nuptiarum causa, idè ante nuptias fieri & traditione perfici
debet, ut valeat *l. 1. 6. C. d. Don: ant. nupt: Gail. l. 2. o. 91.* post
nuptias contractas non valet tanquam Donatio inter Virum & Uxo-
rem *N. 127.* Donatio mortis causa mortalitatis casum respicit, fitq;
duplici modo, vel ut statim dominium transferatur in accipientem,
vel ut non statim transferatur, sed secutò mortis casu *l. 2. in fin. d.*
mort. caus. Don: cujus differentia in hoc consistit effectus: hoc ca-
su sublatà causà Donationis actionem in rem Dominus donans ha-
bet, illò Conditionem & Actionem personalem *l. si mortis 29. cum*
seq. d. Donat: Donatio remuneratoria est quasi quædam permuta-
tio, compensatio & titulus onerosus *l. Aquilius Regulus π. d. Don:*
Inde privilegia remunerationis causa concessa à Principe ob remu-
nerationem transeunt in Contractum, & fiunt irrevocabilia *Alexand.*
conf. 229. Nec feudum ob benè merita concessum est revocabile
Zaf. in Epitom: feud: p. 10. concl. 4. arg. l. metum autem pra-
sentem §. Sed licet π. Quod metus causa. Dissentit Carol. Molin:

in Consuetud. Paris: tit. 1. §. 30. n. 99. ideò nequit revocari Do-
natio remuneratoria, etiamsi justum modum excedat, præsertim si
ob defensionem alicui aliquid donatum *l. 27. l. 34. §. 1. d. Donat:*
Paul: lib. 5. Sent. tit. 11. §. 5. 6.

XIV. Donatio inter vivos & ex causâ absolutè considerata
est Juris Gentium, quia plures Gentes liberalitatem exercuere, & be-
neficia beneficiis compensarunt, imò ab ipsò rationis dictamine mo-
ratiores populi ad hujusmodi laudabiles actiones incitantur; Sed
si Donatio consideretur tanquam modus acquirendi Jure Civili &
Legitimo introductus, cujus pleraque solennia à Jure Civili Roma-
no descendunt non ineptè ad Jus Civile refertur, nec ulla contra-
dictio fit Justiniano in §. *per traditionem 41. j. d. R. D.* Cùm Dona-
tio jure vetere perficiatur traditione, hæc autem naturalis acquiren-
di modus est, secundùm *d. §. per traditionem*, ideò contradici Ju-
stiniano dicit *Bachov. ad. j.* quia eò ipsò Imperator Donationem
inter causas acquirendi ex Jure Gentium refert. Rectè respondet
Ant. Matthæus ad pr. j. d. Donat: Plures sunt termini in Syllogis-
mo quàm tres: traditionem enim esse naturalem, & Donationem
traditione perfici, non sunt idem. Traditio per se naturalis est ac-
quisitio, verùm cùm Donationem perficit, unus & idem cum hæc
actus est, quæ idcirco non suo censetur jure, sed Donationis, quæ
ob adjecta requisita & solennia à Legibus Romanis Juris Civilis
est.

XV. Quanquam Aristoteles ea parentum in liberos benefi-
cia esse existimavit, ut neget parem seu æqualem gratiam eis posse
rependi *9. Eth. item 8. Eth. 11. & 12.* hujusq; sententiam confirmant
Plato lib. IV. d. Legib: & Bodin: d. Rep. 4. experientia tamen do-
cet sæpè filios ultra debitum parentibus officium præstare aliquid,
quod remunerationem promeretur. cujusmodi officium exhibuit
parenti *Aneas*, qui Patrem *Anchisen* humeris suis imponens, flam-
mam inter & hostes cum liberavit à morte, suam interim mortem
contemnens. *Virg. 2. Æneid.* Paria fecerunt *Amphinomus* (seu *Am-
phion*) & *Anapias*, aut ut alii appellant *Onapis*, *Emanthias* & *Cri-
ton* fratres, cùm *Ætnæ* incendia in *Catinensem* agrum se protulis-
sent, ii sublatis parentes humeris per medios ignes evexerunt. Quo-
rum memoriam ita posteritas venerata est, ut sepulchri locus / no-
minaretur campus piorum *Arist. lib. d. admirand. c. 3. Virgil: in
fin.*

fin. istius lib. quem de Ætnâ scripsit, si ipse est, Solinus c. 9. & Valerius Maximus lib. ver. memorab. 5. c. 4. Sunt & alia multa huiusmodi non vulgaria filiorum in parentes beneficia ab eodem Valerio relata, quæ si aliquando contingant, nihil est, quod filios remuneratione non indignos, & parentes ad obligationem naturalem seu antidoralem obligatos esse, censeamus, sed isti obligationi resistit Jus Civile, quod propter conditionem filii familias, qui omnia acquirit patri, excludit omnem Donationem remuneratorem, cum conditio & qualitas prædicta non tollatur per bene merita filii adeoque durante impedimento durat etiam Donationis nullitas l. eum de bonis u. C. d. Donat. Aliquot quidem casus proponit Treutl. vol. 2. Disp. 19. §. 3. quibus Donatio in filium collata confirmatur, sed eos ibidem refutat Bachov. lit. E.

XVI. Ante Justinianum universitas per aversionem donari non poterat sed enumeratio singularum specierum erat necessaria *Fragm. in Cod. Hermog. sub tit. d. Don. Sed ex Constit. Justiniani bona præsentia etiam per aversionem donari possunt. l. Si quis argentum 35. §. Sed etsi 4. C. d. Donat. de Donatione verò rerum futurarum videtur esse textus in l. spem 3. C. d. Don. l. si quis 35. §. u. C. eod. l. si rerum 2. C. d. Don. que sub mod. Dissentiunt D d. communiter, qui ejusmodi Donationem pro nulla habent Clar. lib. 4. Sent. §. Donatio q. 19. n. 1. Covarr. 3. var. resol. 12. Gail. 2. v. u. Detius conf. 30. Fachin. l. 6. contrav. jur. c. 87. cui firmandæ sequentes rationes allegant, quia (1.) testandi facultati præjudicium fit. (2.) illi actus & pactiones jure improbantur, quæ directò libertatem testandi impediunt l. stipulatio 61. d. V. O. qualis pactio aut actus Donatio non est. (3.) ille actus contra bonos mores & humanitatem est, qui Donatorem omnibus vitæ subsidiis spoliat. Et tandem addit Fachin. aliud absurdum, quod ex eo sequeretur, nempe Donationem istam idem effectu continere, quod Testamentum & heredis institutio. Nam quid amplius heres habet quàm is, cui donata sunt omnia bona præsentia & futura? Testamentorum autem multa sunt solennia jure constituta, ut fraudes evitentur eam ob causam, quòd agatur res maximi momenti. At certè ejusdem planè momenti est ea Donatio, de quâ agitur, ac proinde ejusdem obnoxia periculis & dolis. Quare eadem & ea solennia postularet, quæ Testamentis adhibentur, quâ tamen de re nulla extat Lex, nulla*

Constitutio, ut planè appareat, Donationem hujusmodi jure receptam non esse. Ad primam rationem respondet *Bach. in d. Diss. ad Trentl.* Regulam juris ita se habere: Nemini posse facultatem testandi liberam auferri, ita scilicet: ut qui bona habet, quacumque conventionem vel pacto, ne de iis disponat, vel à dispositione semel facta recedat, constringi nequeat, potest tamen quisque jure domini quod in rebus suis habet alienando eas, vel donando efficere ne superfit, de quo testari possit. Secundæ rationi respondet non directò sed saltem per consequentiam libertatem testandi perdi, quod nequaquam juri adversatur, sic etiam potest paterfam. arrogari §. 1. j. d. *Adopt.* ingredi monasterium *Nov. d. monachis* §. & semetipsum vendere §. *Servi* 4. *vers. aut jure Civili* j. d. *jur. person.* §. 1. §. 1. d. *Stat. Hom.* quibus actibus testamentifactio perditur *pr. j. Quib. non est perm. fa. Testam.* l. 6. l. 20. §. 7. *Qui Testam. fa. po.* Tertiæ rationi respondet, Jura Donatori jam prospexisse, ne omnibus suis rebus exuatur, quia conventus in id, quod facere potest, condemnatur *l. si extrin* 33. d. *jur. Dot.* l. 19. §. 1. d. *R. jud.* ad absurditatem quam *Fachin.* elicit resp. non esse confundenda Testamentorum & Donationum jura *l. 1. C. d. S. S. Eccles.* Sicut verò Testamentis sunt sua solennia, sic etiam Donatio suas habet solennitates §. *alia autem* 2. j. d. *Don.* l. pen. §. ult. *C. eod. Ungep. Ex. 7. q. 5.*

XVII. Ut olim Donatio inter vivos perficeretur, & ex eâ agi posset, necessaria erat rei traditio vel stipulatio, quia ex nudis pactis non dabantur Actiones *l. 7. π. d. pact.* Interveniebatur etiam in Donationibus inter vivos imaginaria venditio & mancipatio, quæ fiebat certis & solennibus verbis libripende & quinque testibus presentibus *Illp. lib. Reg. tit. d. domin.* Sed cum hæc solennia in usu esse desierint, Justiniano placuit, Donationem purè factam etiam solo pacto vel nudâ voluntatis manifestatione utilem esse & perfici, antequam Donator rem tradiderit, atque ad eam tradendam Donatorem ejusque heredes cogi posse §. 3. j. d. *Don.* l. 35. §. ult. *C. eod. N. 162. c. 1.* Nec raro requiritur in Donatione, ut ea in scripturam redigatur, nomen donantis & jus quod in re donatâ habet, nec non nomen Donatarii exprimatur, inque acta publica referatur, si Donatio præscriptam summam 500. aureorum excedat *l. pen. §. ult. C. d. Don. Gail. 2. o. 39.* Sunt tamen quædam Donationum genera, quæ citra insinuationem plenissimam firmitatem habent, etiam si

etiam si 500. aureos excedant, ut Donatio à Principe in privatos vel ab aliis in Principem collata *l. 34. §. 1. C. d. bon:* est enim Princeps Legibus solutus cessatq; ratio, tum ut à parte Donatarii fraudibus & persuasionibus, tum ex parte Donatoris temerariis & effusis largitionibus occurratur, ut *Arist. 4. Eth:* dicit: Reges & Principes, quoniam opibus & divitiis abundant, prodigos non posse censeri. Vult tamen *N. 52. c. 2.* Donationem hujusmodi à Principe in privatos collatam probari, publico instrumento subscriptioneque Donatoris & testium, qui non requirebantur Lege Zenonis *l. 31. C. d. Don:* Volunt etiam Doctores, ut si ipse Magistratus donet, vel ipsi donetur, presentia judicis & Tabellionis instar insinuationis sit *Bart. in l. 3. π. d. Adopt: Schneidewin. in §. 2. n. 31. j. d. Donat: Ant: Gabri. lib. 3. Commun: Concl: Tit: d. Donat: Concl. 1. n. 46.* Nec opus habet insinuatione, Donatio facta ad piissimas causas. Causa piissima hoc loco est Redemptio captivorum *l. pen. pr. π. d. Don: Brunnem: ad l. 34. n. 10. C. d. Donat.* Item Donatio mortis causa non indiget insinuatione, ut approbetur, cum sit instar legati, legatum verò non insinuatur *l. ult. C. d. Don: mort. caus.* per quam derogatur *l. 25. C. d. Don:* Nec Donatio remunerationis causa indiget insinuatione, quia potius permutatio est beneficii quam mera liberalitas *N. 119. A. Tiraq. in l. si unquam in verb. Donatione largitus C. d. Revoc: Don: Perez in lib. 8. C. Tit. 54. n. 34.* Jure Gallico omnes Donationes indistinctè cujuscunque quantitatis & causa sint, à die quo fiunt intra quatuor menses, insinuari debent apud acta judicum ordinariorum, alioquin censentur inutiles & sine effectu *Petr. Tholosan. in Syntagm. jur. l. 28. c. 13. n. 17.* In Belgio spectatur quantitas 300. aureorum, & si eam res donata excedat, opus est ut coram Notario fiat, vel in scriptis propriâ manu signatis, aut coram aliis publicis personis, quod observari jubet Edictum anni II. *Art. 19.* In Hispania extat Caroli V. Constitutio, ut summa 500. aureorum insinuationi subjaceat *Gvido Pajæ decis. 325. Job. Gutierrez de juramento p. 1. c. 7. Molina d. 7. §. 7. Diss. 278.* In Saxonia immobilium bonorum Donatio semper debet fieri coram judice loci, ubi bona sita sunt *S&R. L. 1. a. 52 & a. 21. pr. Carpzov. 8. R. 57.* In Prussia pariter ac de J. C. requiritur insinuatio, exceptio tamen Juris Canonici de Donationibus juramento confirmatis *c. cum con-*
tinga

singat d. jurej: est recepta, ut absque insinuatione valeat *P. R. L.*
4. tit. 14. a. 2. §. 8.

XVIII. Perfecta Donatio inter vivos firma illibataque ma-
net *l. ult. pr. C. d. Revoc. Donat:* nec revocatur ex solâ poenitentia
l. 3. eod. neque pretextu Donationis in fraudem Creditorum factæ
l. 4. eod. aut Rescripto Principis *l. 5. eod.* Sunt tamen casus, quibus
Donationes perfectæ & consummatæ rescinduntur, sicut *l. 6 C. Theod.*
dicit, cujus verba: *Donationem circa filium filiamve, Nepotem,*
Neptemve, Pronepotem Pronepstemve emancipationis tempore cele-
bratam, pater seu avus, vel proavus recuperare non poterit, nisi edo-
ctis manifestissimis causis, quibus eam personam, in quam collata est,
contra ipsam venire pietatem, & ex causis, quæ Legibus continen-
tur fuisse constabit ingratham; Quas tamen causas in cognitione
discuti oportebit, & nostro admitti judicio, cum hoc inter partes
competenti visum fuerit cognitori: alias jubemus non audiri paren-
tis querelas. Ex hac *l.* desumpta est *l. 9. C. Just. d. Revoc. Donat:*
in quâ §. ultimum *d. L. C. Th:* rescavit Tribonianus, loco *Dat: 7.*
Id. Nov. posuit §. *Id. Nov:* Duodecimum Theodosii Consulatum
in decimum tertium ac Valentiniani III. in II. nomen convertit.
Ideò revocantur Donationes in solidum duabus ex causis (1.) Si
ingrati & immemores beneficiorum existant ii, quibus aliquid do-
natum est *l. ult. C. d. revoc. Donat:* quod observatur non tantum
in liberis, sed multò magis in Libertis, ut si quid eorum nomine,
patronorum beneficio comparatum sit, revocetur ob ingrati animi
vitium, nec digni sunt, qui obsequiis suis liberalitatem patronorum
provocaverunt, ut eam retineant, cum ceperint obsequia negligere,
cum magis in eos collata liberalitas eos ad obsequium move-
re, quam ad insolentiam erigere deberet *l. 1. C. eod.* (2.) Si Li-
beri postmodum nascantur Donatori *l. 8. d. t. d. Don:* quia non
prælumitur quis, alienas Successiones propriis antepone *l. 102. π.*
d. Cond. & Demonstr. l. 30. d. Fidei Comm: ut recte dicatur inesse
Donationi conditio quædam tacita, si liberi nascantur. Quod pro-
cedit etiam si unus tantum nascatur, quoniam appellatione libero-
rum unus quoque comprehenditur, & sine liberis decessisse non di-
citur, qui vivum reliquit *l. 148. π. d. V. S.* præsertim cum dicta
conjectura & ratio Legis tam obtineat, in uno, quam in multis fili-
s, si qui nascantur *Perez in Lib. 8. Tit. 56. C. d. Revoc. Don:* Pro
parte

parte tantum revocantur Donationes inofficiosa, quales dicuntur, quæ tantæ sunt quantitatis, ut non sit salva Legitima filiis & aliis, quibus per Leges debetur *l. 2. § 3. C. d. inoffic. Donat.* Facit pro hac sententia *l. 5.* ubi ex Donatione immensâ dicitur detrahi, quod necesse est liberis relinqui non ingratis ad submovendam querelam *h. e. quartam, item l. 7.* ubi revocatur, quod immoderatè gestum est, nec non *l. 8. C. d. Don. revoc. Bachov. ad vol. 2. Treutl. Disp. 19. §. 7. Lit. H. & I. Franzk Ex. 5. 9. 9.*

XIX. Ratio L. Juliae ne maritus fundum dotalem alienet est: quia licet in bonis mariti dos sit constante matrimonio, mulieris tamen est. *Boëthius in Top. Cic. l. quamvis d. jur. Dot. l. Lucius §. idē ad Municip.* Est enim hæc potestas Legis, ut possit ex justa causa alienationibus modum statuere, & quidem cum in præsentia causa intersit Reip: mulieres esse benè dotatas *l. 1. Sol. matr.* hoc omninò agendum fuit, ut mulieri in casum soluti matrimonii dos integra maneret, ut denuò nubere possit, inde colligitur iis alienare non licere, quibus jus non concessit facultatem, vel eam ademit. Quam ob rem contra Legum prohibitionem neq; pupillus neq; pupilla sine Tutoris autoritate alienare potest *t. t. j. d. Author. Tut.* E contrario verò ex Legis concessione alienare licet Creditori pignus *l. ul. C. d. jur. Dom. impetr.* ita tamen ne modum præscriptum negligat *l. 6. C. d. distract. pig.* quod etiam Jure nostro Provinciali servatur *P. R. L. 4. T. 5. a. 9.* nec pupillus rem suam sine Tutoris autoritate alienare potest *P. R. L. 2. T. 6. a. 7. §. 1.* Nec maritus prædium dotale aliter alienare potest, quàm si id fiat consentiente Uxore in adstantia duorum Cognatorum à suâ parte & duorum à parte Uxoris *P. R. L. 4. t. 14. a. 5. §. 1.* Jure Saxonico requiritur autoritas judicis, consensus Uxoris & Curatoris ejus *Zob. l. 1. a. 21. lit. K. Wesenb. in parat. d. fund. dot. n. 5.*

XX. Jure antiquo filius patri omnia acquisivit etiam adventitia castrensia, & quasi castrensia peculia, sed ex Constitutionibus Imperatorum discrimen aliquod inter peculia constitutum est. Profectitium peculium acquiritur patri, proficiscitur enim ex repatris contemplatione familiæ paternæ *l. profectitias. in pr. d. jur. dot.* Estq; Reip. Rom. temporibus natum ac notum *Plauto,* qui dicit in *Mer- cat: Lucrum ingens facio, præterquam Mibi meus pater dedit estimatas merces, ita peculium conscio grande.* Quicquid contem-

C

platione

platione patris filio est relictum ad profectitium refertur, patrisve
 rem auget familiarem §. 1. j. per qv. pers. cu. acq. & quamvis pa-
 rentes hoc peculium concedendo magis suum quam liberorum com-
 modum respexisse videantur, nihilominus è re etiam filiorum erat,
 ut se advescerent negotiationibus, & plurima commoda etiam in
 peculiis haberent, e. g. si patris bona à Fisco propter debitum oc-
 cupata, peculium ex Constitutione Claudii separatur l. 3. §. Sed utrius
 4. in fin. d. min: alia beneficia reperiuntur in l. Donationes 21. §. pa-
 ter 2. d. Donat: l. 7. §. 1. eodem. Sub Monarchia hoc militiæ datum
 est, ut in castrensi peculio filiusf. vicem patrisfamilias obtineat, quò
 tamen non omne omninò jus antiquum abrogatur, cessat potius &
 in suspenso est, quamdiu filius suo privilegio utitur, proinde filio
 intestato mortuo, id non acquiri patri, sed non adimi, & jure pe-
 culii non jure hereditatio occupare dicitur à patre l. hereditate d.
 Castrensf. pec. l. 1. §. Si is d. Coll. Bon. l. f. ad SC. Tert. Privilegium
 peculii castrensis deindè extensum est ad quasi castrense, quod occa-
 sione alicujus publici muneris defertur ad filium sive id sacrum sit
 l. si quis ad declinandum 49. §. ult. C. d. Episc. & Cler. sive prophanum
 l. ult. C. d. inoffic: Test: l. 3. §. dari π. d. B. P. l. 1. §. nec castrense
 D. d. Collat: Bon. l. 1. §. in filiis D. ad SC. Trebell: l. filiusf. 7. §.
 ult. D. d. Don: Adventitium ultimò introductum, quod conceditur
 filio contemplatione ipsius filii, non occasione aut paternæ familiæ
 aut militiæ cujusvis togatæ vel armatæ, de hoc Imp. Hadrianus ita
 constituit, ut si pater institutus ab aliquo, & gravatus hereditatem
 filio post mortem restituere, adhuc vivus hereditaria bona dissipa-
 ret, is à filio statim ad restitutionem posset compelli l. Imperator
 50. D. ad SC. Trebell: imò si nolit pater adire hereditatem, potest co-
 gi l. cogi 16. §. Si pater filium D. ad SC. Treb: Deinde rescripsit
 Antoninus Pius: filium furiosi possedelatam hereditatem habere l. cum
 heres 52 D. d. A. H. Constantinus proprietatem bonorum materno-
 rum filiis concessit l. 1. & 2. C. Th. d. bon. mat. l. 1. C. 7. eod. Justinia-
 nus hujus peculii Usufr. patri proprietatem filio reliquit §. quod
 Nobis j. per qv. pers. acqv. l. cum oportet 6. C. d. Bo. q. Lib. Exci-
 piuntur casus in N. 117. c. 1. N. 118. c. 2. N. 134. c. 11. l. 7. & ult. in pr.
 d. Bo. q. Lib. l. penult. C. eod.



Kc 3004

ULB Halle

3

003 757 714




Bitte nach Ausleihe an
Frau Richter. 1
Sammelbd. ? oder
Inhaltliche Werte ?

von 125







7

N. J.

ATIO VII.

TARUM

SIUM

RTI & CON-

VERSI

. & long. temp. præ-

. al. lic. & per qv. cu. acq.

Justin. Theod: βασιλικ.

pendentibus.

Quam

ESIDE

E CHRISTO-

O Volk /

D. & P. P.

NJAMIN Hempel /

Glogâ-Siles:

NDENS

è defendet

ORIO MAJORI

oc. LXXXI.

OMONTI.

EUSNERIANO.